

DISSERTATIO
DE
NUMERO ORDINEQVE FILIORVM NOACHI,
ex Chronologia & Genealogia Biblica.



Vanta rerum dignitate, tanta disciplina-
rum, quae undiquaque obseruantur, ua-
rietate, excellunt diuinarum literarum
monimenta. Saepe hinc multumque
mirari soleo, summam illam Dei immor-
talis sapientiam, cui placuit, non tantum
grauissima coelestis scientiae capita, sed et mirificam
rerum humanarum cognitionem † in iisdem pertracta-
ri. Hinc obstupesco, planeque detestor, doctum cete-
roquin uirum, *Anglum Politianum*, qui tempus, quod
diuinis litteris dederat, impie deplorauit, atque hac de
ratione grauissimo poenitendi dolore saepiusangebatur.
Quod utinam multi hodierno die in animum demitte-
rent, discerentque, nihil perinde atque easdem, uel ad
perlustrandum iucundius, uel ad utilitatem promouen-
dam efficacius, uel denique ad cognitionem augendam,
opportunius reperiri. Haec, ut ita sentiantur, auctor
est ipse omnis et sapientiae, et sanctitatis Doctor, qui
cum in terris carne tectus uersaretur, eas studiose per-
legendas, reuerenterque inquirendas, seuerissime com-
mendauit. Nemo itaque mirabitur, praesens nobis
differendi argumentum, de *numero ordineque filiorum
Noachi, ex Chronologia et Genealogia Biblica*, conscriben-
dum, publiceque tuendum placuisse. Quod, ut rite per-
sequamur, dabimus operam, ut omnia, rationis pariter,

A 2

Scri-

† *Egrogie de hoc argumento disseruit uir celeberrimus, Jo.
Braunius in Sel. S. L. V. Exercit. III. de elegantia Styli Hebraeo-
rum P. T. p. 147.*